

ad facilitandum Scopum conferre posse viderentur, sufficienter, atque Benignae Intentioni nostrae Consona ratione inviandos, indubitanter exmittere non intermittant Iidem Regnorum istorum fideles Status et Ordines. Quibus in reliquo Gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia Benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae die 5-ta Mensis Septembris, Anno Domini 1777.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Eszterházy m. p.

Josephus Jablanczy m. p.

(Locus Sigilli Regii.)

Ex opere: De Jure Croatiae ad urbem etc. Fluminensem.

CCLXI.

Anno 1777. die 10. Novembris. Viennae.

Maria Theresia ordinationibus suis de partium maritimarum reincorporatione, de inducendo commerciali systemate, deque praestando statui militari aequivalente porro quoque insistit.

Maria Theresia Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Demisse relatata sunt nobis ea, quae Fideles Regnorum istorum Status et Ordines quoad benigne resolutam Partium Maritimarum reincorporationem, Stabilimentum item pro publico Regni Hungariae et Partium Ei adnexarum Bono in Portibus Fluminensi, Buccariensi, Buccariczensi et Porto-Ree Commercialis Systematis, nec non hoc titulo Statui Militari per suscipiendam Excorporationem praestandum aequivalens, ex generali sua Congregatione Zagrabiae celebrata, sub 27. Mensis proxime praeteriti humillime repraesentarunt.